



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XLI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTI  
1417.

habiles esse declarat, ceteris eiusdem Concilii decretis semper saluis, supplens omnes defectus (si qui forsitan interuenerint) in præmissis, apostolicis etiam & generalibus Conciliis editis, & aliis constitutionibus non obstantibus quibuscumque. Quibus decretis sic lectis, dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis huiusmodi sessionis præsidens, ipsius Synodi nomine respondit, Placet.

Super quibus omnibus & singulis præmissis & eorum quolibet magister Henricus de Piro promotor & procurator prædictus, nomine quo supra, sibi a protonotariis, notariis & scribis ipsius sanctæ Synodi ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, ac tot quot fuerint necessaria fieri petiit, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Præsentibus reuerendissimis in Christo patribus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, Ostiensi, Laudensi, de Vrsinis, Bononiensi, Hispano, episcopis; Venetiarum, Aquileiensi, Senensi, Placentino, Veronensi, Tricaricensi, Pisano, sancti Marci, de Chalanco, Rhemeni, de Fuxo, presbyteris; de Flisco, de Branckasiis, de Columna & de Comitibus diaconis cardinalibus; ac illustri principe domino Friderico marchione Brandeburgensi, sancti Romani imperii archicamerario, ac magnificis & generosis dominis Bertholdo de Vrsinis, Ludouico de Otingen, & Euthero de Rauaretzburg, comitibus, aliisque regum, principum, prælatorum, nobilium, communitatum, vniuersitatum, studiorum & collegiorum ambasiatoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XLI.

**D**IE Lunæ octaua mensis Nouembris, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimosextimo, indiçione decima, fuit tenta sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi. Pro cuius sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, Missam de Spiritu sancto, serenissimo principe domino Sigismundo Romanorum rege cum insigniis regalibus interueniente, deuote celebrauit. Et Missa finita, dominus Iacobus episcopus Laudensis solennem fecit sermonem ad Synodum, assumens pro themate, *Eligite meliorem*. Reue- 4. Reg. 10.

Eeee iij

rendissimus vero pater dominus Ioannes episcopus O-  
stiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, huic sessioni  
præsedit. Litanis igitur lectis, aliisque in sessionibus legi  
solutis, cum euangelio secundum Ioannem, *Si diligitis me,  
mandata mea seruate*: dominus Petrus de Lomburga licen-  
tius in decretis, stans in ambone solito, quamdam con-  
stitutionem felicitis recordationis Clementis papæ sexti, &  
alia quæ sequuntur, legit huiusmodi sub tenore.

*Constitutio Clementis papæ sexti super modo & forma tenendis  
super victualibus cardinalium in conclavi existentium.*

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei  
memoriam.*

Licet in constitutione a felicitis recordationis Grego-  
rio papa decimo prædecessore nostro super electione Ro-  
mani pontificis edita in Concilio Lugdunensi, inter ce-  
tera caueatur expresse, quod si eundem pontificem in  
ciuitate, in qua cum sua curia residebit, diem claudere  
contingat extremum, cardinales in palatio, in quo idem  
pontifex habitabat, omnes conueniant, & in eo singuli  
singulis tantummodo, nisi illi quibus ex patenti necessi-  
tate duo permittuntur haberi, contenti seruiantibus cle-  
ricis vel laicis ( prout elegerint ) vnum conclauæ, nullo in-  
termedio pariete vel alio velamine, inhabitent in commu-  
ni: & quod diebus certis, non facta prouisione de pastore,  
decurfis, panis, vinum & aqua tantum eisdem cardinali-  
bus, donec subsequetur prouisio, ministretur: quia ta-  
men, sicut frequenti multorum assertione & in cardinala-  
tu constitutorum percepimus, nonnulli ex cardinalibus in  
obseruatione constitutionis ipsius grauati alias nimirum  
extiterunt, multi quoque ex ipsis duos in conclavi prædi-  
cto habuerunt seruiantes, non absque scrupulo conscien-  
tiæ propter ambiguitatem dictorum verborum, videlicet,  
Quibus ex patenti necessitate duo permittuntur haberi, in  
dicta constitutione ( vt præmittitur ) contentorum, nos  
prouidere super his cupientes, ex his & certis aliis causis ra-  
tionabilibus, quæ nostrum ad id animum induxerunt, rigo-  
rem constitutionis ipsius, & etiam ad fratrum nostrorum  
supplicationem, in his prouidimus temperandum, auctori-  
tate apostolica statuentes, quod cardinales postquam con-

ANNO  
CHRISTI  
1417.

clauē huiusmodi, seu clausuram pro dicta celebranda electione intrauerint, singuli duos seruientes tantum clericos vel laicos, prout duxerint eligendos, ac etiam singulis præter panem, vinum & aquam in prandio & in cœna dumtaxat vnum ferculum seu missum carniū vnus speciei tantummodo, aut piscium seu ouorum, cum vno portagio de piscibus vel carnibus principaliter non confectis & decentibus salsamentis habere valeant vltra carnes salitas, & herbas crudas, ac caseum, fructus siue electuaria, ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret, vel saporem. Nullus vero eorum de alterius ferculo vesci possit. Liceat etiam eis ex decencia honestatis habere in clausura huiusmodi, cum in lectis causa quiescendi vel dormiendi esse voluerint dumtaxat, intermedia seu velamina simplicium tantummodo cortinarum, prædictis & felicis recordationis Clementis papæ V. prædecessoris nostri & aliis constitutionibus apostolicis contrariis, quibus per hoc in aliis derogare nolumus, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Auenione octauo Idus Decembris, pontificatus nostri anno decimo.

Deinde idem dominus Petrus in eodem loco existens de simili mandato capitula, quæ cardinales & alii electores Romani pontificis infra scripta obseruare, & custodes conclauis iurare facere obseruari tenentur, alta & intelligibili voce perlegit.

*CAPITVLA IVRANDA PER ELECTORES  
Romani pontificis, & custodes conclauis.*

**I**STA sunt, quæ cardinales & alii electores Romani pontificis in Concilio generali Constantiensi obseruare, & custodes iurare & facere obseruari tenentur, & ad quæ non vltra compelli possint per custodes conclauis.

Primo, quod infra decem dies a die iam lati per Concilium decreti intrent conclauē, videlicet hodie Lunæ octaua mensis Nouembris infra occasum solis.